

vt Sol, clarus vt carbunculus, foris effluens vt cera, per-  
 feuerans in igne, penetrans & retinens argentum viuū,  
 Arnoldus: Color namque rubedinis creatur ex com-  
 plemento digestionis: quoniam sanguis non genera-  
 tur in homine, nisi prius diligenter coquatur in epate.  
 Sic nos cum videmus de mane nostram vrinam albam,  
 scimus nos parum dormiuisse, redimus ad lectum: som-  
 no autem recepto, completur digestio, & nostra citri-  
 natur vrina: sic per solam decoctionem potest albedo  
 deuenire ad rubedinem, ignem sic continuando. Aes  
 nostrum album si diligenter coquatur, optimè rubifi-  
 catur, igne ergo sicco, & calcinatione sicca decoqua-  
 tur, donec rubeat vt cinabrium, cui de cætero nequa-  
 quam impones aquam, neque aliam rem, quousque ad  
 complementum decoquatur rubeum.

*Fusionem & ingressionem simul & fixas-  
 tionem quid præstet.*

Geber libro secundo, capite quinto, dicit: Dicimus  
 quoniam omnis solutionis perfectio adducitur cum a-  
 quis subtilibus & maximè acutis & acris, & pontici-  
 bus, facem nullam habentibus: sicut est acetum distil-  
 latum, & vva acerba, & pira multæ acritudinis, & mala  
 granata, similiter distillata, & his similia. Fuit autem  
 causa inuentionis eius subtiliatio eorum, qui nec fusio-  
 nem nec ingressionem habent, de quibus magna utili-  
 tas amittebatur spirituum fixorum, & eorum quæ na-  
 turæ sunt: nam omne quod soluitur, necesse est salis aut  
 aluminis, vel eorum consimilium habere naturam. Est  
 autem natura eorum, quoniam fusionem dant ante il-  
 lorum vitrificationem. Ergo & spiritus soluti fusionem  
 præstabunt, similiter similem. Cum ergo multum ex na-  
 tura sua corporibus, & sibi inuicem conueniant, habita-  
 fusione, necesse est per illam corpora penetrare, & trās-  
 mutando penetrare, & penetrando transmutare. Ad  
 hoc verò sine magisterio non peruenitur, quod est sci-  
 licet, vt post solutionem & coagulationem illius, ad-  
 ministretur illi aliquis ex spiritibus purificatus non fi-  
 xus, & totiens ab illo sublimetur, quousq; secum mane-  
 at, & illi velociorem præstet fusionem, & ipsum in fusio-  
 ne à